



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

19. Libellum repudij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

has duas contuliones uno tenore conscriptas aliquid agere vel refragare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit solidos tantos componat, & hæ contuliones nostris vel bonorum hominum manibus roborata, cum stipulatione subnixa, firmæ permanent.

Libellum repudij.

L. 1. Cod.
Theod. de
repud. in
incepser.

XIX. Certis rebus & probatis causis inter maritum & uxorem repudiandi locus patet. Idcirco dum inter illum & conjugem suam illam non caritas secundum Deum sed discordia regnat, & illorum nulla est voluntas pariter conversandi, placuit utrisque voluntatibus ut se à consortio conjugali separare deberent. quod ita & fecerunt. Propterea has epistolas uno tenore conscriptas inter se fieri & adfirmare decreverunt, ut quicquid unusquisque ex ipsis de semetipso facere voluerit, absque repetitione socij sui liberam habeat potestatem, & nullam requisitionem neque ipsi in caput neque ulla quislibet persona exinde habere non pertimescat. Quod qui contra parem suam vel contra alium quemcunque hominem ullam repetitionem exinde facere conaverit, partibus illius contra cui litem intulerit solidos tantos componat, & sua repetitio nullum obtineat effectum; sed unusquisque ex ipsis per hunc libellum repudij eorum manibus roboratum omnique tempore quieti valeant refidere.

Mandatum qualiter maritus negotium uxoris profequatur.

XX. Dum & humana prodit utilitas, & lex Romana exposcit, ut quicumque uxoris suæ negotium fuerit profecutus, quamvis maritus sit, nihil aliud agat nisi quod ei agendum per mandatum illa commiserit, igitur ego in Dei nomine illa, filia illius, te dulcissime jugalis meus ille, dum me simplicitas dominatur quod minimè res vel causas meas valeo exercere, te in omnibus rebus vel causis meis instituo dominum procuratorem & actorem, ita ut quicquid exinde egeris gefferisve, ratum vel definitum à me in omnibus esse cognoscas: quia malo hoc habere te quam me, plus te quam ceteris heredibus meis. Et adhuc mihi inferere placuit, ut hoc mandatum ad civitatem illam cum curia publica, ut mos est, gestis municipalibus facias alligari. Et ut nostra voluntas ævis temporibus firmius perduret, manu propria

subter firmavi, & bonorum virorum roborandum decrevi.

Charta qualiter pater filium vel nepotem de rebus suis meliorare potest.

XXI. Quicquid pater unumquemque ex filiis vel nepotibus meliore habere voluerit, hoc sibi secundum legis ordinem sine consortis repetitione defendat, nec præsumat aliquis contra voluntatem patris agere. Igitur ego in Dei nomine ille, dulcissimo filio vel nepoti meo illo, cedo tibi cessumque in perpetuum esse volo, & de meo jure in tua trado dominatione, absque consortio fratrum tuorum vel filius meis, in loco nuncupante illo, cum terris, domibus, accolabus, mancipiis, libertinis, vineis, silvis, campis, pratis, piscuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omni supraposito suisque adjacentis, vel quicquid inibi præfenti tempore mea videtur esse possessio, totum & ad integrum, à die præfente tibi volo esse concessum atque indultum; ita ut quicquid exinde facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem. Si quis verò, quod nec fieri non credimus.

Epistola qualiter nepotes in loco filiorum instituantur ab avo.

XXII. Quicquid filiis vel nepotibus de facultate patris cognoscitur ordinasse, voluntatem ejus in omnibus lex Romana constringit adimplere. Ideo ego in Dei nomine ille dulcissimis nepotibus meis illis. Dum peccatis meis facientibus filia mea genetrix vestra illa tempus naturæ suæ complevit, & ego pensans consanguinitatis causâ, dum & per legem cum filiis meis avunculis vestris in alode meo ad integrum minimè succedere poteratis, ideo per hanc epistolam firmitatis volo ut in omni alode meo post meum discessum, si mihi suprestites fueritis, quicquid moriens dereliquero, sicut supradicta genetrix vestra, si mihi suprestis fuisset, ita & vos cum avunculis vestris succedere faciatis. Ea verò ratione ut quicquid tempore nuptiarum ei tradidi vel dedi, hoc in parte vestra recipiatis. Et si amplius insuper de rebus nostris obvenerit, tunc cum filiis meis matris vestræ portionem recipiatis, ita ut quicquid exinde facere volueritis liberam habeatis potestatem. Si quis verò fuerit, & reliqua.

Epistola qualiter extraneo homine in locum filij adoptetur.

XXIII. Ego enim in Dei nomine ille.
Dum

L. unde C.
Th. qui pe
tunt rat. in
incep.